



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Apotheca Spiritvalivm Pharmacorvm Contra Lvem  
Contagiosam Aliosqve Morbos**

**Wichmans, Augustin**

**Antverpiae, 1626**

Cap. LIX. De S. Guidone Bubulco in Brabantia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9653**

## CAP. LIX.

*De sancto Guidone bubulco in Brabantia.*

**G**uido Belga noster, ideoque præ reliquis à nobis in-  
uocandus, in pago Brabantensi tugurio rusticano  
& paupere domo natus, oculis parentum furabatur  
in primæua ætate certas horas quibus Ecclesiam oratus  
adiret. nec hilarem illum vlla dies videbat nisi priùs aut  
orasset aut eleemosynam protulisset. Ecclesia B. Mariæ in  
Laken, pagus hic est medio lapide Bruxella distans Eccle-  
siam habens cœlesti filo prodigiosè ab ipsa Deipara desi-  
gnata in ædificationem multis annis seruiuit, velut alter  
Nepotianus eam floribus & ramis exornans, omnia in ni-  
tore conseruans, decorum domus Dei sedulò diligens, atq;  
in omnes Ecclesiasticas ceremonias piè sollicitus. Postmo-  
dum per 7. annos Romam ad Apostolorum limina, Iero-  
solymam & ad alia sanctorum loca religiosè peregrinatus  
est, vnde tandem Anderlacum (vulgò *Anderlecht* & tan-  
tumdem ab altero latere Bruxella distat) reuersus, peste in-  
guinariâ sæculi ærumnas consummauit, sepultus in cœme-  
terio anno 1012. Sed Deo Sanctum suum per crebra mira-  
cula glorificante, Gerardus Episcopus Cameracensis eum  
eleuauit in nativitate S. Ioannis Baptistæ, & ex confluen-  
tium oblationibus noua Basilica supereius tumulum sum-  
ptuosè est ædificata, in qua Canonicorum celebre colle-  
gium à Domino Gaesbecano dotatum & institutum est.

Pingitur ut opilio, bubulus & arator. habet enim in  
manu pedū; ad pedes, oves, boues & instrumentū triangulū  
ligneis dentibus distinctū quo semina aruo iniecta obruun-  
tur, quod quidā dentale, alijs peccinē, alijs occam & rastrum,

M m

Belgæ

Surius to,  
s. &c Mol.  
in nat. SS.  
Belg. 12.  
Sept.

Hier. ad  
Heliod.  
epist. 23.

Belgæ een egghe, vocant. Lakensis Ecclesia ad aquæ di-  
 & tum Bruxellensem, vulgo, de Vaert, addit ei in manibus  
 claves Ecclesiæ suæ, eò quod in ea custos velut alter Ne-  
 Hist. Eccles.  
 20. 1118. potianus seruierit. Notabile est quod ex Chronicis Bra-  
 bantiae de eius sepulcro refert noster Dion. Mudzaert,  
 nempe cum Onulphus Anderlechti Dominus visis mira-  
 bilibus signis quæ circa illud diuinitus quotidie fiebant, in  
 mandatis dedisset duobus e suis subditis ut locum se-  
 pulturæ eius sepe aliquâ à bestiarum incursu conclade-  
 rent, illi illusoriè ad se inuicem dicentes; Concludamus  
 hunc senem nuper defunctum intra hanc sepem ne à no-  
 bis procul aufugiat; diuina puniti dextra vires corporis  
 amittentes, alter maximis in tormentis sequenti nocte,  
 alter totus furibundus & phreneticus postridie obiit, con-  
 fessus in poenam ludibrii sancto viro irrogati se à Deo  
 puniri. Plura qui desiderat de miraculis eius, gloriose obi-  
 tu, alijsque, videat apud iam dictum Mudzaert, ubi & sub-  
 iicit beatam mortem ac alia miracula S. Wonadolphi  
 olim Decani Anderlacensis quo cum S. Guido iugiter pe-  
 regrinatus est, comitem peregrinationis in terris, & nunc  
 verò æternæ quietis in cœlis natus.

## C A P. L X.

## De B. Bernardo Senensi.

**S**VPRÀ dedi S. Bernardinum Senensem Ordinis Mino-  
 rum alumnum, nunc ex eadem patria Bernardum  
 profero Ordinis montis Oliueti conditorem. Ioannis  
 nomen ex Sacro fonte acceperat, natus Senis ex nobilis-  
 sima Ptolemæa familia. Iurisprudentiam factus Doctor,  
summa